

ZITT.

1813

31

31

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
PRINCIPIS

F R I D E R I C I V V I L H E L M I ELECTORIS BRANDEBVRGICI

ETC. ETC. ETC.

M A T H E M A T I C U S

A B R A H A M V S C O L V I L L

Ordinariusque in Electorali Universitate
Professor

I N L A U D E M M A T H E S E O S S O L E N N I T E R
Recitaturus σὺν Θεῷ

tum

M A G N I F I C U M D N . R E C T O R E M HONORA T I S S I M O S Q U E D n . D n . C O L L E G A S

tum

N O B I L E S A C E R U D I T O S C A E T E R O S C V N Q V E
Licei Cives

S T U D I O S I S S I M E & O B S E R V A N T E R

I N V I T A T


A d d i e m A u g u s t i 17 h o r a . 9 .
i n A u d i t o r i o P h i l o s o p h i c o



F R A N C O F U R T I a d O D E R A M

P R A E L O B E C M A N I A N O .

M . D C L X V I I .



σὺν Θεῷ

EXIMIÆ illæ circa proportiones Figuras & Numeros Contemplationes, ex quibus reconditæ multæ veritates ad rerum omnium Causas inuestigandas, præclaraque inuenta excogitanda, utilissimæ eruuntur, & oculo rationis humanæ ex principiis firmissimis demonstrantur, merito Mathematicarum sive addiscendarum scientiarum nomen sibi Vendicant: quam appellationem verisimile est adeptas fuisse apud antiquos Philosophos a quibus maximo studio excultæ sunt, ut a Pythagora, Socrate, Platone, Aristotele & aliis, quod viderent Intellectum humanum mire ex illis iuxuari ac perfici, unde & μαθήματα illas disciplinas vocarent quæ omnibus Philosophandi cupidis tanquam sublimioris Sapientiæ & Philosophiæ perfectioris præcipua Fundamenta, addiscendæ proponerentur, ut quemadmodum Logica sive Rationalis facultas iis exercenda est primum, qui ad pleniores rerum naturalium cognitionem adire cupiunt, sic Mathesis hoc est proportionum scientia iis excolenda sit, qui naturam cognoscere ejusque vires & facultates perspicere desiderarent. Missis iis quæ de

A 2

eius.

29331

li

origine referunt, Thaletem primum ex Ægypto Geometram aduexisse, Ægyptios autem ex necessitate agrorum suorum limites restituendi, qui ab Nili inundationibus dimoti ac translati essent, hanc metiendi scientiam excogitasse, quanquam non ex scipsis Mathematicas artes inuenisse Ægyptios, sed ab Abrahamo edoctos fuisse Josephus memoret, certum est a Thalete & deinceps in Græcia præsertim hoc Mathematicum studium floruisse, plurimosque post Thaletem, Pythagoram, Hippocratem, Platonem, Architam Tarentinum, Theætetum, Eudoxum usque ad Euclidis tempora qui sub Ptolemæo primo, Matheseos peritia excelluisse, postquem venerunt Archimedes, Eratosthenes & alij multi qui priorum inuentis superaddentes magnam his artibus perfectionem attulere, summamque simul gloriam consequuti sunt: & hæc de nomine & authoribus. Cum autem Matheseos partes plures esse intelligantur carum, divisio a Gemino quæ traditur est ejusmodi. Quantitas spectatur modo in Intellectibus duntaxat & quæ a materia abstractiora sunt, modo in sensilibus consideratur, & ex priori quidem Contemplatione Numeralis & Mensoria enascuntur, altera quæ magnitudinem seu quantitatem prout in omnes dimensiones, longitudinis, latitudinis & profunditatis extenditur, altera quæ multitudinem seu eandem quantitatem prout multipliciter divisa, atque in plures partes distincta respicit, verbi gratia Mensura quædam decempedalis ad Geometriæ sive Mensoriæ objectum pertinet quatenus linea

linea in longitudinem extensa , Arithmeticæ autem considerationis erit , si ad denarium partium numerum attendatur , quanquam prout a materia illa abstrahit non partes ipsas , sed denarium simpliciter contempletur : rursus quantitas a sensilibus non separata , sed iisdem conjuncta , sex peculiares Scientias constituit , quæ inter Matheseos partes censeri debent , Mechanicam scilicet , Astronomiam , Perspectivam , Geodæsiam , Canonicam atque Logisticam sive Supputatricem . Et hæ sunt totius Mathematicæ præcipuæ partes , quarum nonnullæ in alias rursus subdividuntur , ut Geometria in planorum Contemplationem , quæ in figuris planis construendis & dimetiendis versatur & solidorum dimensionem quæ Stereometria vocatur . Itidem Arithmeticæ , quæ interdum Algebra nomine Arabico nuncupata est , distributio est in numerosrum Linearium , Planorum & Solidorum Contemplationem , ac præterea notari debet cæteras illas quæ in sensilibus occupatae sunt , nihil aliud esse quam diversas Geometriæ & Arithmeticæ ad res sensibiles applicationes , quæ id efficiunt ac præstant quod ab his præscribitur , atque Geometriæ & Arithmeticæ Theorematæ quodammodo ad praxim redigunt ut V. g. cum Geometriæ opus sit conum vel cylindrum metiri , Geodæsia rerum materialium aceruum ut arenæ acervum ac si conus esset considerans , ejus proportiones dimetitur , puteum pro cylandro habebit : idem censeri debet de Logistica seu Supputatrice quæ subtiles numerorum proprietates omittens , tantum

de quarundam rerum numero sollicita est, idem
 statui poterit de Perspectiva & Canonica quæ pariter ab Arithmeticā & Geometriā genitæ sunt: Perspectiva enim quid aliud est quam ingeniosa quædam Geometriæ applicatio, ad rerum visibilium species delineandas, omniaque explicanda quæ circa objectorum lumen, Colores, distantias, magnitudines, situs & alia quæ facultatem perspiciendi movent possunt Considerari. Ex radiis illa visoriis ac si lineæ essent superficies designat pyramidales sive Conicas deinde & corpora solida, quæ dum varia ratione planis interjectis dissecat, totidem diversas ejusdem rei creat apparentias, quas deinde ex artis præceptis decentissime delineat, ostendens lineas parallelas re ipsa, apparenter concurrere & coincidere, Quadrangulorum angulos dum eminus spectantur, relecari ac contornari, Circulos in Ellipses interdum, interdum in lineam rectam projici, tum Specularia facta eorum quæ in speculis cavis, conuexis, planis accidunt, quorum hæc æquales, duo illa inæquales, maiores vel minores objectis ipsis species exhibent, & aliorum ejusmodi visibilium proprietates, perjucunda ratione exponit. Canonica autem sine Regulari quæ eadem est ac Musica, unde & Canones vocati qui fugæ ab nonnullis dicuntur, nihil aliud est quam sonora quædam Arithmeticā, sive numeri sonis vestiti, quæ dum quantitatis & qualitatis sonorum rationes considerat, quid auribus placere vel displicere in illis reperit ac demonstrat

monstrat. Non aliter judicari debet de Mechanice quæ principia sua ab geometria mutuantur ac interdum sit ὁργανοποιητικὴ instrumentorum effectrix, dum ea quæ in gerendis bellis idonea sunt construere docet, interdum θεωρητικὴ miraculorum effectrix, cuius scientiæ opus fuit miraculosa illæ Architæ Tarentini columba, interdum σφαιρικὴa hoc est sphærarum effectrix quæ Sphæræ cœlestis totiusve Mundi dispositionem in Artificiosa sphæra repræsentare docet, quod hodie per plures impactos circulos facile exhibemus, aut per unius globi superficiem corporum cœlestium, aut Regionum terræ quæ nobis cognitæ sunt naturalem situm delineamus, at longe admirabilius quod ab Archimede præstitum, qui vitro opere pluribus non tantum circulis sed orbibus, in unum impactis, totam Mundanæ Machinæ harmoniam Cœlestesque motus organice spectabiles singulæri artificio expressit, de quo audire est Claudianum Epigrammate si bene memini vigesimo primo.

Jupiter in parvo cum cerneret æthera vitro,
Risit & ab superos talia dicta dedit:
Huccine mortalis progressa potentia curæ?
Jam meus infragili luditur orbe labor:
Jura Poli rerumque fidem, legesque deorum,
Ecce Syracusius transtulit arte senex.
Inclusus variis famulatur spiritus Astris,
Et viuum certis motibus urget opus.

per

1820

Percurrit proprium mentitus signifer annum,
Et simulata novo Cynthia mense redit,
Jamque suum voluens audax industria Mundum,
Gaudet & humana sidera mente regit.
Quid Falso insontem tonitru Salmonea miror?
Æmula naturæ parua reperta manus.

Restat Astronomia quæ de Mundanis edifferit motibus de Astrorum Ortū, Occasu, Magnitudinibus, figuris ad terram accessu recessuue & aliis ejusmodi, quæ dum subdivitur in partes interdum appellatur Metheoroscopia modo Dioptrica modo Gnomonica, quarum hæc gnomonum positu horas dimetitur, alia Elevationum differentias siderumque distantias repertit, alia hæc eadem dioptricis instrumentis mensurat. Tales sunt fere Mathematicæ artes quæ cum sint satis ex se laudabiles eas tamen oratione nostra ornare ac laudare cum numinis auxilio suscipimus, cui actioni ut interesse, suæque præsentia honore Celebritatem addere velint, multum harum rerum Amatores & Studiosos omnes invitamus atque rogamus.

109

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

misc.33 digitalisiert PPW: 314386882

SLUB DRESDEN



3 0602191

Coll. Diss. B 129

BIBL.